AUGUSTINUS

Admont, 12. Jh. Seite 137v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tamen iustificati sumus in sanguine eius et reconciliati sumus deo per mortem filii
eius. Et quomodo id factum sit ut potero etiam hic quantum satis videbitur explicabo.

Quo merito homo diabolice sit traditus potestati.

xii. Quadam iustitia dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum
peccato primi hominis in omnes utriusque sexus commixtione nascentes origi
naliter transeunte et parentum primorum debito universos posteros obli
gante. Haec traditio prius in genesi significata est. Ubi cum serpenti
dictum esset terram manducabis. homini dictum est terra es et in terram ibis.
Ergo quod dictum est in terram ibis mors corporis prenuntiata est quia nec ipsam fu
erat experturus si permansisset ut factus est rectus. quod vero viventi ait terra
es. ostendit totum hominem in deterius commutatum. Tale enim est terra es quale
illud non permanebit spiritus meus in hominibus istis quoniam caro sunt. Tunc ergo demon
stravit ei traditum cui dictum fuerat terram manducabis. Apostolus autem apertius hoc
predicat ubi dicit. Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris in
quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius secundum principem potestatis
aeris spiritus eius qui nunc operatur in filiis diffidentie in quibus et nos omnes aliquando
conversati sumus in desideriis carnis nostre facientes voluntatem carnis
et affectionum. et eramus natura filii ire sicut et ceteri. Filii diffidentie sunt infideles.
Et quis hoc non est antequam fidelis fiat. Quapropter omnes homines ab origine
sub principe sunt potestatis aeris qui operatur in filiis diffidentie. Et quod
dixi ab origine hoc est quod dicit apostolus natura se sicut fuisse sicut et ceteros.
natura scilicet ut est depravata peccato non ut recta creata est ab initio.
Modus autem iste quo traditus est homo in diaboli potestatem non ita debet intel
legi tamquam hoc deus fecerit aut fieri iusserit. sed quod tantum permise
rit iuste tamen. Illo enim deserente peccantem peccati auctor
illico invasit. Nec ita sane deus deseruit creaturam suam ut non illi
exhiberet deum creantem et vivificantem et inter penalia mala etiam

bona mali